



**R. P. Honorati Fabri, Societatis Jesu Theologi,
Apologeticus Doctrinæ Moralis Eiusdem Societatis**

Fabri, Honoré

Coloniæ Agrippinæ, MDCLXXII

Illustrissimo Et Reverendissimo pariter, ac litteratissimo Domino Doctori.
Domino Dionysio Perez de Escobosa, in causis olim adversus perduelles
fidei, Hispalis, & Murtiæ, integerrimo Vindici, ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94565)



ILLUSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO
pariter, ac litteratissimo Domino Doctore. Domino
Dionysio Perez de Escobosa, in causis olim adversus per-
duelles fidei, Hispalis, & Murtiæ, integerrimo Vindici,
Quæstorique Apostolico Delegato. Glandomy-
rensis postmodum, & nunc Sarabricensis Ec-
clesiæ Meritissimo Antistiti, Regis
Consiliario, &c.



MEUS hic tibi sistitur liber, Illustrissime Dynastes, tanquam cli-
ens Patrono, ut causa spectatissimo Judici, ut mendicus muni-
ficentissimo largitori, ut vernula hero, ut obæratu amplissimo
Meccenati. Appellavi meum, quem caligine delitescens tua
benignitas, ut videat lucem, requirit. Iacebat ut meus, usque
dum tui luminis mutuatus splendorem, veluti spiritum hauri-
ret, & vitam. Effudi rudem, ut singas; incomptum, ut comas; ja-
centem, ut erigas; elanguem, ut sospites: nec meus jam, sed tuus dici merito possit,
qui à me inanibus tantum lineamentorum umbris donatus, de tuo gremio: (uti de
summo jubare) pulcher, elegans, fastigiatus assurgat, & vividus. Meum dixi, ut poti-
ori jure vendices tuum, qui te nil habere putas, nisi quod dederis. Meus igitur quan-
tulus est hic labor, si à te prodiret, in pauperes exundaret, nec tuus jam, sed paupe-
rum diceretur. Equum ergo est, ut ex meo pauperculi penu repetas, quæ sint tua,
qui te tuaque omnia pauperibus erogasti. Meum dixi, ut qui omnio sim tuus. Meum
dixi, ut quod nequirem munere, rependerem nomine, holque meos de te beneme-
rendi conatus, dicendi arte, fallerem; quos rebus gestis, quin de tuo accipiat, nulla
virtus explebit. Litem tandem dirimat liber ipse, qui transfuga meus in tuam ambit
recipi clientelam, ut facto ipso se vocitet, *tuus*, dum à labore fugit audire, *meus*. Nec
ibo inficias, aleam ita subiisse potiore, bonoque adspirante genio, ejusmodi defe-
ctu instituisse, ut te patrono ea gauderet sorte, quæ nataliū jus negaverat apud patrē.

Quantum ergo ex tuo patrocinio autoritatis, & nominis huic operi accrescat,
unus ille, qui te, tuasque dotes habuerit exploratas, affatim judex esto. Erravi fateor,
legem præscripsi arduam, & inaccessam. Quis enim tuarum laudum momenta sum-
mus quamvis, studio perpendet? Quis vastissimum virtutum Oceanum, non dicam
bolide pertentavit, sed nec primoribus degustavit labellis? Evolvat Hispalis quanto-
pere, Eminentissimo Archipræsule Spinula, Vicarias ipsius gerens, Ecclesiasticam
promoveris disciplinam, vitia detriveris, amaveris æquitatem, conceptam de te spē,
apud nimis religiosū Principē, quam candidē sustinueris, longēque superaveris. Haud
prætereas Urbs eadem tuum pro religione tuenda tyrocinium, cum in sacrum ibi-

dem tribunal cooptatus, advocati, acerrimique vindicis partes obieris, cruentum haresi bellum intuleris, universam impietatem eliminaveris, sartam rectam Christianam veritatem asserueris. Nec Menralia (vulgo Murtia) subtriceat, qualem ad sacrum fidei Senatum adlectus, in tanto munere exequendo te gesseris, quam nullo negotio tricas dissidentium exsolveris, quam cordate jus dixeris, quam eximia, usque ad miraculum, Cæsarei juris, Pontificique peritia, doctissimorum etiam animos in admirationem abstuleris. Clamitet Glandomyrensis primavera tibi sponsa, buccinat prophana surrectum, sibi pauperem, pauperibus divitem, comem majestatem, quos bonos allicis, improbos retrahis, afflictos erigis in spem, ac vitam.

Omnia hæc, licet maxima, minora profecto sunt virtute, ac magnitudine tue unde compertum habeo, æquum eis numquam posse contingere aestimatores. Minax tamen hæc moles, inaccessus tuarum virtutum scopulus non mihi invideam debet conflare, sed veniam, quæ audaciæ, & temeritatis opinione me exoneret, cum ex plurimis, pauca tua rudi contendere perstringere penicillo, quamvis aliquanto magnitudinis detrimento, nullo tamen dispendio veritatis. At vereor in silentio mendacium, cum in veritatem idem fere sit solacismus, & silenda dicere, ac dicenda tacere: nec remissa secus, quam prætervolantia tela scopum non colliment. Hic tamen non despero te mihi & patronum, & mitissimum iudicem adfuturum, quin gravescenti huic veritatis vulnere, modestiæ tuæ pharmaco medearis, quod tibi paritatem meam imputes, & in meo crimine tibi ignoscas: tibi, inquam, cui religionem propriæ laudes iniiciunt.

Strictim attingi, quibus sis perfunctus honoribus, quæ munera obieris. Honores Munera: Imò labores, officia, quibus exhaustis interdum, vel præstitis, Regias urbes, præcipuos Hispaniæ Tractus demerueris. Duplici omnino, & judiciali, & Pastoralis es potestate initiatus. Hæ tibi præcipuæ artes fuere: in eis ita integritatem iudicis temperasti, clementia Pastoris, ut numquam non mulcendo æquitatis, & iudicando semper misericordiæ memineris. O numinis proprium inventum! Stadium salubriter studiorum emensum, factumque scientiarum omnium ex optimis quibulcumque litteris encyclopediam, te suum militem divina exornavit Pallas, ac omnium disciplinarum infulis instructum, cælestibus jam armis communivit. Induit tibi pro torace iustitiam, & pro caside certum iudicium induxit, ut in campum adversus vitorum agmina invictus antagonista prodires. Nec iustitiæ te depereunti, externum hoc armorum subsidium exhibere fuit satis: Nam ubi primum Astra illa, quæ solentes terras ob inulta flagitia reliquerat, te subsellia prementem inspexit, hilantissim fronte tuis finibus est illapsa, ibique ut in molli gleba ætherea virtutum condidit semina, uberrimos, in dies fructus paritura: manus quoque divina sua tanto muneri supellectile instruxit, stateram lævæ, dextræ gladium inseruit, ut non iustus modo, quin vivos etiam ipsius iustitiæ vultus, spiritu, ore, ac habitu ad unguem referre sis visus.

Quod monstrum auderet in pugilem sic armatum, nisi sensu exutum, vitamque pertæsum? Quænam de avernis latebris, acta diris, erumperet fera, quæ Hercules tecum non formidaret amplexus? vel altius spem tanti certaminis figeret, quam tuæ gloriæ, suæ potius, adscribere, si, ut est fatale, succumbat? Nullum tibi æquitatis Alcidi periculum facessit effrænata habendi libido, immanis illa auri sacra fames, quæ veluti Mænalaica aeripes, cerva aureis impetit cornibus, & ut pervigil draco Hesperidum pomis laceffit obrizis. Nosti equidem, & expertus es, quod beatitudo summa sit inopia cupiditatum. Ille prædives, qui desiderat nihil. Capax animus virtutum divitiis opplendus; læta alacris mens conscia recti. Hoc tu severioris philosophiæ tinctus oraculo voces illas Pithii consulentis Philippo

Tela adhibe in bellis argentea, & omnia vinctes.

ostendisti mendaces: nil enim aurum jus, vel roboris in te habuit, qui ea contentus es mediocritate, quam nec modestia respicere, nec integritas consueverit averfari. Unde nullum tibi jam certamen extimelcendum, qui tot in una (Ceu Hercules Hydras) pullulantes jugulas cupiditates. Qui strenuè adeò

Scelerum matrem, quæ semper habendo

Plus siveus patulis rimatur faucibus aurum,

Trudis avaritiam.

Qui ad majora natus non dignitates ambis, sed te ipsæ ambiunt, religiosum Herculem, a quo cum avaritia ejus etiam

Fædissima nutrix

Ambitio, quæ vestibulis, foribusquè potentum,

Excubat, & pretius commercia poscit honorum,

Pulsa simul.

Quàm pulchrè integritas resonat tua Ciceronis illud plenum desiderii suspirium Catonem percipientis æmulari, cum aiebat. O te felicem, M. Porci, M. Porci, à quo rem improbam petere nemo audeat! Nec enim feritate terreris, aut expectatione perliceris, ut vel metus, vel spes à te cum jure valeat extorquere pugnantiæ; sed illibatus, integer, non minis tantum, verum blanditiis, precibus, rimas omnes occluseris.

His monstrorum conculcatis horroribus, quid cætera per censere opus est? Sed quæ tibi iunctæ acies ad terribilia adeò ostenta devincenda opem præstiterunt: virtutes. Quæ arma? quæ vires? qui spiritus divinitus tibi ad tot victorias suffecti? virtutes. Quæ ex tot triumphis exuviae? quæ spolia in trophæum reportata? Non alia profecto quàm virtutes, & quæ ex virtutibus fama diffunditur. Quæ tantis demum manent famæ præconia virtutibus?

Quæ nec ventura filebunt

Lustra, nec ignota rapit sub nube vetustas.

Consulto igitur tuarum virtutum facinora, supervacaneum duxi, edere singillatim, ut quæ nulla olim ætas conticescet, & ab eo tantum cupiant sciri, à quo ambiant coronari.

Inter eas tamen præclaras tuarum virtutum dotes, longè illa benignitas, & quasi innatus tibi erga litterarum studiosos, sese amor extollit, ut ad hanc unam videatur te natura genuisse, exercuisse genius, fortuna servasse. Plura hic de peculiari tua in me animi propensione, & favoribus, gratus animus non inepte ad tutandam spem producere poterat; sed injucundum tibi auspicor fore, si ea sensibus tuis obijciam, quæ oblivesceris, quam facis, beneficentius. Et si verum fatear, satis mihi, & hisce laboribus consultum, præstantique compensatos præmio judicabo, si meus hic, politis tuis, & limatis auribus, se probaverit liber. In eo quantumcumque est, quod præstiti, quod sentio quam sit exiguum, id omne tuæ in primis, Illustrissime Antistes, & eruditorum spongiæ permitto. Tibique ex Ecclesiæ bono, & studiorum votis id unum deprecor, ut olim adscribendus cœlestibus, quos merito augebis, tandiù superstes agas, quandiù

Iliacos æquare senes, aut vincere possis.

Illustrissimæ tuæ

Addictissimus Capellanus

Matthaus de Moya.

LECTO.